



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Ethices Christianae, Libri Tres**

**Daneau, Lambert**

**Genevæ, 1579**

Cap. VI. Definitiones virtutum, & vitiorum, quæ ad nonum præceptum referuntur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41242**

Notum & iam susceptum & probatum, non repetimus, est Desidia: vel Susceptum lentè & frigidè persequimur, est Segnitias & Ignauia. Denique inane otium & curiosum verbo Dei damnatur, 2. Thess. 3. Atque hæc totæ virtutes, tū vitia ad octauum Legis diuinæ præceptum pertinent. Accedamus ad nonum.



## CAP. VI.

Definitiones virtutum, & vitiorum, quæ ad nonum præceptum referuntur.

**P**rudens igitur sermo siue conditus, quem Paulus vocat, Coloss. 4. v. 6. primum in virtutum, quæ ad nonum numero præceptū referuntur, locum habet. Est autem prudens in quo lingua mentem non præcurrit, sed contrà mens linguam. Est conditus sermo, qui cum ædificatione aliquid admistæ honestæ urbanitatis habet & sapit. Denique moderatio linguæ dici debet tota hæc virtus, de qua Iacob. 3. & 1. Petr. 3. vers. 10. & in libro Prouerbiorum variis locis.

Huic opponitur Intemperies linguæ, atque abusus, qui multis modis à nobis committi potest: sed maximè in verbo Otioso & Inani, Stulto, Putri, & Contumelioso. Plura genera addit Bernard. Sermo. De triplici custodia. Lingua enim ne ad verba quidem otiosa & inania nobis esse abutendum docet Christus, Matth. 12. v. 36.

Stultus à Paulo nominatur *μωρολογία*, Ephes.

5. vers. 4. Stultiloquium. Est autem non tantum inanis siue inutilis: sed peruersi, & quo quis merito offenditur, sermonis à sciente facta prolatio.

Putris sermo *συνωρίς* est, qui cordis ipsius nostri foetorem, & in blasphemis vel obscænis cogitationibus nequitiam, ore ipso & verbis prodit.

Contumelia, à qua contumeliosi à Paulo *ὕβρις*, dicti Roma. 1. v. 30. à Iacobo. cap. 2. vers. 6. *ἀπιώντες, βλάσφημοι* ab eodem Paulo 2. Tim. 3. 2. Est ut ait Anselm. dictum vel factum ad alicuius dignitatem, & honestam famam prægrauandam & imminuendam scienter admissum. Alij sic, Est mali culpæ exprobratio. Alij, vel verbo vel facto, vel scripto, à nobis animo iniuriandi facta. Docent autem Scholastici lingua à nobis in alterius famam, & bonum nomen peccari variis modis, siue ille cuius nomen honestum lædimus, sit Absens, vel Præsens.

Ac quidē in Absentem vel Detractione, vel Sufuratione peccatur. In præsentem autem Contumelia, Conuitio, Improperio siue Calumnia, Irrisione, & imprecatione. Quæ omnia nos suis locis explicabimus. Vide de Contumelia Thomam in 2. 2<sup>a</sup>. quæst. 72.

Huius autem intemperiei lingue sunt species eæ, quas Paulus 1. Timoth. 5. vers. 13. enumerat Curiositas siue Percontatio, Nugacitas, Garrulitas, & Scurrilitas quo que iis addi potest.

Curiositas *ἀσπιεργία*. Est vel nimia & sollicita rerum alienarum percontatio, & in iis scrutandis narrandisve occupatio, quæ non alterius iunãdi gratia

gratiâ sit. Bernar. Serm. de septē Donis. Parit curiositas experientiam mali, vt facilè qui per multa vagatur, offendat, facilè cadat in laqueum, facilè inueniat quod perniciosè delectet. Confligit sanè aduersus hâc scientiam spiritus docens eligere bonum, &c. Differre videtur à *πολυπραγμοσύνη*, vt apparet ex Plutarch. in lib. De curiositate, quod *πολυπραγμοσύνη* sit alienorum tantum peccatorum diligens & nihil ad nos attinens perquisitio, vt illius famæ labes aliqua à nobis aspergi, si libeat, possit. Curiositatis autē esse quadraginta quatuor genera scripsit Ansel. in lib. De similitudinib. De qua Thom. in 2. 2<sup>a</sup>. q. 167. At August. lib. De vtilitate credendi. cap. 9. opponit studiosum curioso. Nam vterq; magna discendi & cognoscēdi cupiditate tenetur: sed curiosus ea discit, & consecratur, quæ nihil ad se attinent: studiosus autem ea, quæ ad se spectant, quatenus iis animum nutrit & ornat, non autem opes auget terrenas. Atque Augustini sententiam securi Sentētiarij studiositatem curiositati opposuerunt, quam latissimè diffundi, vt curiositatem ipsam, sentiunt. De qua Thomas in 2. 2<sup>a</sup>. quæst. 166.

Nugacitas, *φλυαία*. Est futilis de vanis rebus fermo, siue quod ad nos minimè ex res spectēt: siue quod falsa sit talis de iis narratio.

Garrulitas *ἀδελοςία*, vt explicat Plutarch. in lib. de eo vitio scripto, est stultiloquium & immodica vbiq; & ex qualibet, vel etiâ ex nulla occasione arrepta loquacitas. Hic & in teatro & in templo loquax est, omniâque & quæ scit, & quæ nescit, effutit, qualis ille, qui describitur X. j.

ab Horatio, Satyr. lib. I. Satyr. 8.

*Ibam fortè via sacra, &c. —*

Vnde verum illud est,

*Percontatorem figito, nam garrulus idem est.*

Scurrilitas hoc loco est scōmatum ad risum aliis mouendum affectatio, & studium, quod nihil ædificationis habet. Vnde illud Horat.

*Rupit Hiarbitam Timagenis emula lingua,  
Dum studet urbanus, tenditque disertus haberi.*

Veritas siue Veracitas (si sic loqui fas est) sequitur, ἀλθία à Græcis dicta, vel potius ἀλθίστης. Hæc primū est distinguenda tum à veritate, quæ est Vitæ, hæc est conformitas omnium actionum nostrarū cum Christi præceptis. Est n. veritas generalissima, & omnes virtutes complectitur. Item & Doctrinæ est veritas, quæ est consensus noster cum Dei verbo in iis, quæ credere iubemur. Pertinet enim hæc Veritas ad Primam Legis diuinæ tabulam, non autem ad secundam. Est igitur Veritas, de qua nunc agimus, constans animi voluntas & studium, per quod quales simus, tum in dictis, tum in factis omnibus, & nos ipsos, & quæ in nobis, & quæ circa nos sunt, ingenuè & candidè ad Dei gloriam, conscientiaque synceritatem conseruandam, & vita & oratione patefacimus, ac manifestamus. Hanc virtutem qui habet, dicitur ab Aristot. li. 4. Ethicor. cap. 7. Ἀληθῆπικὸς, non tantum Ἀληθῆς, cuius in eodem capite præclara est hæc sententia, ὁ γὰρ φιλαληθῆς ἐν οἷς μὴ διαφέρει ἀληθείων, ἀληθεύσει ἐν οἷς διαφέρει ἔπ' μᾶλλον. i. Qui veritatis est studiosus, & vbi nihil refert, verax: verax erit, vbi refert multò magis. De qua D. Paulus Ephes. 4. ver. 25.

Tho-

Thomas autem in 2. 2<sup>a</sup>. quæst. 109.

Huic autem virtuti varia vitia opponuntur, vel in Vniuersum, vel Particulariter.

Ac in vniuersum opponitur Falsitas siue Falsum, Hypocrisis, Simulatio, Dissimulatio, Mendaciū: quod si est in Iudiciis, dicitur vel Falsum testimonium, vel Falsa defensio, vel Falsa sententia: si est Extra iudicia, Mendacium.

Falsitas *ψεύδος* vnde *ψευδολογία* ab Aristotele dicti. Est autem in verbis & sermone affirmatio, negatio vel narratio de re aliter quàm res est, à nobis, siue scientibus, siue ignorantibus, & rem ita se habere existimantibus facta. Vnde distinguitur sæpe, qui falsum dicit, ab eo, qui mentitur.

Hypocrisis est in factis fictio, & alia rei demonstratio, quàm sit in sese. Propriè tamen dicitur de nobis ipsis maiorem sanctitatem, vel religionem, quàm habeamus, externo gestu & actionibus fingentibus & simulantibus.

Simulatio illi simillima est, aut potius eadem. Dissimulatio est rei, quam habes, quasi eam non habeas, occultatio & imminutio.

Mendacium est enuntiatio, id est affirmatio, vel negatio de re aliqua facta, aliter quam ipse enuntians animo rem se habere sentit. Itaque mendacium semper cum mala mentientis conscientia coniunctum est. Ita Anselmus, & rectè quidem. Est autè, vt in expositione præcepti diximus, multiplex Mendacium, nempe Officiosum, Iocosum, & Perniciosum.

Particulariter autem veritati opponuntur, si quidem agimus De nobis, Ironia & Iactantia:

X.ij.

Cap.6. ETHIC. CHRIST.

De aliis, Adulatio, siue assentatio, & Detractio.

Ironia, *εἰρωνεία*, dissimulatio est eorū Dei donorum quæ habes, non ad Dei gloriam illustrandam, sed ad nostram conditionem minuendam, abnegatio, & obscuratio.

Iactantia, *ἀλαζονεία*, est eorum Dei donorum, quæ non habemus, simulatio, & nobis à nobis ipsis facta attributio propriæ gloriæ causâ: vel etiam eorum, quæ habemus, bonorum insolens, & maior, quàm illa sint in nobis, ob eundem finem prædicatio & venditatio. Hos Paulus 2. Timoth. 3. vers. 4. vocat *πετυφωμένους*, id est, inflatos.

Adulatio, siue Assentatio, *κολακεία*, est immodica & nimia alterius vel præsentis, vel absentis laudatio ac prædicatio à nobis facta, ut illi placeamus & applaudamus: Assentator igitur est blandus inimicus.

Detractio, siue obrectatio, *καταλαλία*, est is animus, qui aliorum bona opera vel peruersa interpretatione iis vitio vertit, & in mala commutat: vel debitam illis gloriam maligna æstimatione imminuit. De hoc vitio, & quâto sit, vide Bernar. sermo. De triplici custodia manus, linguæ, cordis.

Libertas, *παρρησία*, subseruit veritati. Est autem animi nostri, atque conscientie integritas, quæ neque nobis ipsis, neque aliis quicquam eorum, quæ significanda sunt, simulare aut dissimulare propter Dei præceptum vult, neque etiam potest.

Admonitio fraterna, *νοῦ θέσις*, libertati adiuncta est. Est autem alienæ culpæ reprehensio facta,

cta, verbis non verberibus, ex pio & Christiano animi nostri erga proximum affectu facta coram & presenti. Atque ut varij culpæ gradus esse possunt, sic varia sunt Admonitionis genera. Nam vel Torpentem tantum & tardum excitamus, Exhortatio est *ἐπιτιμωσις*, vel declinare & aberrare iam incipientem in viam & ad officium reuocamus, Admonitio vel Correctio, *ἐπιτιμωσις*. vel Immersum & indormientem peccatis excitamus, Increpatio est *ἐλεγχος*, vel *ἐπιτιμωσις*. De quibus omnibus hominis Christiani etiam priuati nedum Pastoris aut Magistratus officii erga proximum, ut Dei gloria & regnum in singulis promoueatur, & proximi ad salutem perueniant, vide præcepta Iac. 5. vers. 19. 20. & Paul. 1. Thes. 5. vers. 14. 2. Tim. 3. vers. 16. 17.

Huic virtuti adiuncta est alia virtus, quæ dicitur Consolatio, *παρηγορησις*. Est autem duplex: Nam vel nimio afflictionis mœrore deiectum propositis Dei promissionibus erigimus, quæ propriè dicitur Consolatio: vel infirmum & imbecillum adhuc in cognitione ac præstatione officij sui sustentamus, & benignis verbis corroboramus. Huius vtriusque meminit Paulus 1. Thessal. 5. vers. 14.

Superioribus autem omnibus virtutibus sunt quædam vitia contraria, quæ sunt etiam explicanda, nimirum hæc, Proximi Irrisio, Calumnia siue Improperium, Coniutium, Querimonia, & Imprecatio. De quibus Thomas in 2. 2. q. 72.

Irrisio, *σκληδασμὸς*, est de malo culpæ, vel peccatæ, id est, alienæ vel culpæ vel afflictionis recitatio cum risu & cachinno ad fratris contem-



ptum à nobis facta.

Calumniā, *δολογία*, est culpæ & peccati alicuius attributio falsò à nobis facta proximo, quæ tamen caret, ut ipse aliis puteat, illiusque existimatio apud bonos viros imminuatur.

Improperiū, siue Opprobrium, *ἀπεία*, est mali pœnæ, vel inhærentis maleuola recitatio: vel non inhærentis mendax attributio à nobis facta proximo, ut eum irridendum aliis propinemus: veluti si quis cæco cæcitatem animo iniuriandi obiiciat: vel non claudum, claudum tamen illudendi & irridendi animo appellet.

Conuitiū, *λοιδορία*, est mali culpæ, id est, culpæ & peccati, iniuriandi animo, exprobratio, siue ab vno, siue à pluribus ei, qui commisit, facta, cum vociferatione, vel præsentibus aliis aliquibus.

Querimonia, *ἀγανάκτησις*, est nostra de nulla, vel ea fratris in nos offensa, quæ condonare debuius, exostulatio, & ingemiscentia.

Imprecatio, *κατὰ*, est oratio, per quam malum pœnæ, id est, afflictionem aliquam optamus proximo, nō in ipsius emendationem, nec propter Dei gloriam, sed ut satisfaciamus animi nostri impotentia. De his omnibus vide Thomam in 2. 2<sup>a</sup>. à quæst. 72. ad quæst. 78.

Denique duæ quædam virtutes etiam superioribus addi debent, nimirum Animus de alio minimè suspiciosus, & Sobrietas in iudicando & damnando proximo.

Animus non suspiciosus est is, qui quod malum nondum in proximo percepit, in eo minimè inesse putat: vel si quid in speciem mali in eo vidit, in meliorem tamen partem illud inter-  
preta-

pretatur. Charitas enim, ut ait Paulus, malū non cogitat, neque suspiciosa est. I. Corinth. 13. v. 5.

Suspicio. *ὑπόνοια*, illi contraria est. Est autem animi nostri facilitas in præsumendo proximi in nos affectu malo: siue eius facti, (quod in vtranque partem accipi potest) in deteriore tantum interpretatio. Hi igitur sunt suspicaces, & maligni.

Sobrietas in iudicando cōmendatur. Matth. 7. & Iacob. c. 3. v. 1. Est autem virtus ea, per quā animi nostri iudicium suspendimus, ne quid de proximo, nisi nobis optimè antea compertum, vel apud nos taciti quasi certum statuamus, vel apud alios pronuntiemus & affirmemus. Huic contraria est tum Temeritas iudicandi, tum Sufurratio.

Temeritas *Προπέτεια* vel *Πρόνεμα*. Est nullo iusto fundamento fulta animi nostri de alio sententia & pronuntiatio, qua quid illi vel addimus, vel detrahimus. Vtroque enim modo fieri potest.

Sufurratio *Ἰδρυσιμὸς*, de quo Paulus Rom. 1. vers. 30. Est autem de altero absente in alterius aurem occulta & clandestina detractio, ut malum illi nomen conciliemus, siue apud eos, quibus iam honestè innotuit, siue apud alios quoslibet. Quæ sanè ratio à Christiana charitate alienissima est.

X.iiiij.